Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 681
Quelle:
Copyright:

tium: *Prophetię ſpiritus non ſemper* &c. Catecheſis: *Pſalmus quid eſt? Pſalmus eſt concentus* &c. Praefatio Hieronymi: *Pſalterium Romę dudum poſitus* &c. Pſalmus ſpurius: *Puſillus eram* &c. Praefamen illud: *Canticum pſalmorum corpus ſanctificat* &c. Dixi de his omnibus ad Codicem praecedentem. Ipſius Operis inſcriptio litera quadrata eſt: *In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Incipit Liber Decada Domni Auguſtini Aurelii A Pſalmo Primo Usque Ad Quinquageſimum Primum.* Diviſionem in *Decades* poſteriores a *Caſſiodoro* ſumſiſſe videntur; is enim primus in Prologo ad ſuum in *Pſalmos* Commentarium de *Auguſtino* ait: *quae ille in Decadas quindecim mirabiliter explicavit.* Ajunt tamen *Mauriani*, diviſionem hanc in paucis Codicibus memorari. Habemus igitur in praeſenti *Decades* V. priores, quae a ſplendidiſſima litera B (*eatus*) ordiuntur. Ante *Pſ.* XV. neſcio, quid ſibi velint, quae adſcribo: *Ab hoc quinto decimo preſcripti pſalmi prius in exemplaribus habentur per numerum, id eſt, per heras* (aeras ſeu Notas) *uerſuum, et deinceps tractatus uerſuum. Ideoque qui ſuper inducti ſunt, legendi ſunt, licet mutato modo ſint tractatoris ab alio quodam translati. Vnde ipſi ita tranſtulimus.* Nullam certe inter antecedentia et ſequentia differentiam deprehendi. Tractatus in *Pſ.* XXXIV. quem tempore alicujus Concilii habitum notarunt *Mauriani*, nobis praenotatur: *Apud tangaſte*, l. *Tagaſten.* Nomina Epiſcoporum *Serm. II. in Pſ.* XXXVI. uti et Eccleſiarum ſaepe ab Editis variant. *Sermo in Pſ.* XXXVIII. habitus *ad menſam S. Cypriani* nobis addit *quarta Feria.* Ad calcem Codicis habemus *Orationem*, quam Edita *Pſ.* CL. ſubjungunt: *Conuerſi ad dominum deum patrem* &c. Textus capto collationis experimento ad Editorum perfectionem non adſurgit.

CCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 124. f. per duas columnas eleganter ſcriptus, rubricis, geminaque initiorum Litera picturata comtus, et olim *Sanctę Marię in boumgartenberg* Monaſterii Ciſterc. ſuperior. *Auſtriae* complectitur S. *Auguſtini Enarrationes in Pſalmos*, et quidem a *Pſalmo* CI. usque ad *Sermonem* 25. in *Pſalmum* CXVIII. in quo abrumpitur. Rubrica prima eſt: *Incipit tractatus beati Auguſtini epiſcopi de titulo pſalmi centeſimi Primi.* Nempe: *Ecce unus pauper erat* (orat) *et non erat* (orat) *in ſilentio. Libet ergo eum audire et uidere quisnam ſit* &c. Ut edit. Maur. T. IV. col. 1091. ſed non abſunt menda, ut ipſum oſtendit principium. Praeterea poſt *fol.* 49. evulſum eſt initium *Pſalmi* CIV. usque ad verba: *velut quęreremus, quomodo factum ſit* &c. quae ſunt edit. *n.* 17. Item poſt *fol.* 120. e *Sermone* 21. in *Pſalmum* CXVIII. a verbis: *non intelligo niſi caritatem. Quid enim profuiſſet* — deperiit membrana usque R. 3066